

*Quomodo sit Deus ubique.*

XXXV. *Qui es in cælis.* Constat inter omnes qui recte de Deo sentiunt, ubique locorum et gentium esse Deum, quod non ita intelligendum est, quasi ipse distributus in partes, una parte locum unum, alia alium occupet ac tueatur; nam Deus spiritus est, omnis expers divisionis. Quis enim audeat Deum tanquam in vestigio positum, loci alicujus finibus circumscribere, cum ipse de se dicat: (a) Numquid non cælum et terram ego impleo?

*Deus est ubique totus.*

XXXVI. Quod rursum sic accipiendum est, Deum cælum ac terram, quæque cælo ac terra comprehensa sunt, vi sua ac virtute complecti, non autem ipsum ullo loco contineri: adest enim rebus omnibus Deus, vel creatis ipsas, vel conservans creatas, nulla regione, nullis finibus, vel circumscriptus, vel ita definitus, quominus et naturam et potestatem suam præsens ubique constituat. Quod beatus David expressit illis verbis: (b) Si ascendero in cælum, tu illic es. *August. lib. 1 Conf. c. 5. D. Thom. 1 p., q. 8, art. 2.*

*Cur Deus in cælo esse dicatur.*

XXXVII. Verum etsi præsens adsit Deus in locis et rebus omnibus, nullis, ut diximus, terminis definitus, tamen in divinis Scripturis sæpe dicitur habere domicilium suum in cælis.

*Prima ratio.* — Quod ideo factum videmus, quod cæli, quos suspicimus, sunt nobilissima mundi pars, iidemque manent incorrupti, præstantes vi, magnitudine ac pulchritudine cæteris corporibus, certisque ac stabilibus motibus præditi.

(a) Jer. 25, 24. — (b) Psalm, 158, 8.

*Secunda ratio.* — Ergo ut excitaret hominum animos Deus ad contemplandum infinitam suam potestatem ac majestatem, quæ maxime elucet in opere cælorum, se in divinis Scripturis habitare testatur in cælis; sæpe etiam, quod res est, declarat nullam esse mundi partem, quæ non præsentî Dei natura et potestate comprehensa sit.

*Tertia ratio.* — Quanquam in hac cogitatione fideles non solum communis omnium parentis imaginem sibi proponant, sed etiam in cælo regnantis Dei, ut oraturi meminerint, mentem animumque esse referendum ad cælum, quantumque spei ac fiduciæ affert eis Patris nomen, tantum christianæ humilitatis ac pietatis adjungat præstans illa natura ac divina majestas Patris nostri qui est in cælis.

*Quarta ratio.* — Quæ verba præfiniunt etiam orantibus, quid petendum sit: omnis enim postulatio nostra, quæ ad hujus vite usum ac necessitatem pertineat, nisi cum cælestibus sit conjuncta bonis, et ad illum finem dirigatur, inanis est et indigna christiano.

*Nota.* Quare monebunt pios auditores parochi de hac ratione præcationis, et ad monitionem illa Apostoli auctoritate comprobabunt: (a) Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quaerite, ubi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.

## DE PRIMA PETITIONE.

## SANCTIFICETUR NOMEN TUUM.

*Quandam recte ordinetur oratio.*

I. Quid a Deo petendum, quove ordine id agendum sit, magister ipse ac Dominus omnium do-

(a) Coloss. 3, 1.

cuit et imperavit. Nam cum studii et desiderii nostri nuntia sit et interpres oratio, tum recte et ratione petimus, cum postulationum ordo sequitur ordinem rerum expetendarum.

*Ordo charitatis.*

II. Monet autem nos vera charitas, totum ut animum ac studium conferamus in Deum, qui, quoniam solus est in seipso summum bonum, jure est præcipuo quodam ac singulari amore diligendus.

*Verus amor Dei quis?*

III. Nec vero ex animo et unice potest amari Deus, nisi rebus ac naturis omnibus ejus honor et gloria præponatur. Bona enim, et nostra, et aliena, et omnino omnia quæcumque boni vocabulo nominantur, ab illo profecta summo ipsi bono cedunt.

*Hæc petitio quare prima.*

IV. Quare ut ordine procederet oratio, Salvator petitionem hanc de summo bono principem et caput constituit petitionum reliquarum.

*Prior ratio.* — Docens nos, priusquam ea quæ nobis aut proximo cuique opus sint, postulemus, quæ propria sint Dei gloriæ petere debere, ipsique Deo studium et desiderium ejus rei nostrum exponere.

*Altera ratio.* — Quo facto manebimus in officio charitatis qua docemur, et plus Deum, quam nos ipsos diligere, et primum petere quæ Deo cupiamus, deinde quæ nobis optemus.

*In hac petitione quid cupiatur.*

V. Et quoniam desiderium et petitio sunt earum rerum quibus caremus, nec vero Deo, id est, ejus naturæ fieri accessio potest, aut augeri ulla re divina substantia, quæ inexplicabilem in modum

est omni perfectione cumulata; intelligendum est extra hæc esse, quæ a Deo, ipsi Deo petimus, et ad externam ejus gloriam pertinere.

*Nota hæc tria.* — Cupimus enim, et petimus, ut Dei nomen notius sit gentibus, ut ejus regnum amplifictur, ut plures quotidie obediant divino numini, quæ tria, nomen, regnum, obedientia non in illo ipso sunt intimo Dei bono, sed assumuntur extrinsecus. Verum ut hæ petitiones quam vim habeant et quid valeant planius intelligatur, pastoris erunt partes, monere fidelem populum, verba illa: Sicut in cælo et in terra, ad singulas referri posse primarum trium postulationum: ut, Sanctificetur nomen tuum sicut in cælo et in terra: item, Adveniat regnum tuum, sicut in cælo et in terra; similiter, Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra.

*Primo in hac petitione quid petitur.*

VI. Cum autem petimus ut sanctificetur nomen Dei, id sentimus ut augeatur sanctitas et gloria divini nominis. Quo loco parochus animadvertet ac docebit pios auditores, non id dicere Salvatorem, ut eodem modo sanctificetur in terra quo et in cælo, id est, ut amplitudine terrestris sanctificatio cælestem exæquet: hoc enim fieri nulla pacto potest, sed ut ex charitate, ex intimo animi studio id agatur.

*Sanctificare Dei nomen qui fiat.*

VII. Etsi verissimum illud est, sicuti est, divinum nomen per se sanctificatione non egere, (a) cum sanctum et terribile sit, quemadmodum ipse Deus suapte natura sanctus est, neque ei ulla sanctitas, qua ab omni æternitate præditus non

(a) Psalm. 110, 9.

fuert, possit accedere: tamen quod in terris longe minori honore afficitur quam par est, nonnunquam etiam maledictis et nefariis vocibus violatur; propterea cupimus ac petimus ut laudibus, honore, gloria, celebretur ad exemplum laudum, honoris et gloriæ quæ illi in cælo tribuuntur, id est, ut sic honor, et cultus in mente, in animo, in ore versetur, ut omni veneratione, et intima et externa prosequamur, omnique celebritate excessum, purum et gloriosum Deum ad imitationem supernorum ac cælestium civium complectamur.

*Similitudo.*

Ut enim cœlites summa consensione, gloria et prædicatione efferunt Deum, sic precamur ut idem contingat orbi terrarum, et omnes gentes Deum cognoscant, colant et venerentur, ut nulli plane mortales reperiantur, qui non et suscipiant christianam religionem, et se totos Deo dicant, credant ex eo omnem sanctitatis fontem existere, neque quidquam esse purum aut sanctum, quo non a sanctitate divini nominis oriatur.

*Nota.* Testatur enim Apostolus (a) mundatam esse Ecclesiam in lavacro aquæ, in verbo vitæ: significat autem verbum vitæ, nomen Patris, et Filii, et Spiritus sancti, in quo baptizamus et sanctificamur.

*Quid secundo.*

VIII. Itaque quoniam nulla cuiusquam expiatio, nulla munditia et integritas esse potest, super quo non sit invocatum divinum nomen, cupimus et petimus a Deo, ut omne hominum genus, relictis impuræ infidelitatis tenebris, ac radiis di-

(a) Eph. 5, 26.

vinis luminis illustratum, hujus vim nominis agnoscat; sic, ut in eo veram quærat sanctitatem, et in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis baptismi sacramentum suscipiens, ipsius Dei dextera perfectam vim sanctitatis consequatur.

*Quid tertio.*

IX. Pertinet vero optata et postulatio nostra non minus etiam ad eos qui flagitiis et sceleribus contaminati, puram baptismi integritatem et innocentiam stolam amiserunt; quare factum est ut in illis miserrimis suam iterum sedem impurissimus spiritus collocarit. Optamus igitur et precamur a Deo, ut in ipsis etiam sanctificetur nomen ejus, ut ad eor et ad sanitatem redeuntes, sacramento pœnitentiæ redimant pristinam sanctitatem, sequè ipsos purum ac sanctum Deo templum ac domicilium præbeant.

*Quid quarto.*

X. Oramus denique, lumen ut suum Deus præferat omnium mentibus, quo videre possint (a) omne datum optimum, et omne donum perfectum descendens a Patre luminum, ad nos divinitus esse delatum, quo temperantiam, iustitiam, vitam, salutem, omnia denique animi, corporis externa vitalia ac salutaria bona illi accepta referant, a quo, quemadmodum prædicat Ecclesia, (b) bona cuncta procedunt: si quid luce sua sol, si quid reliqua sidera motu et cursu prosunt hominum generi; si circumfuso hoc alimur spiritu, si terra frugum et fructuum ubertate vitam sustinet omnium; si opera magistratum quiete ac tranquillitate fruimur: et hæc et hujus generis bona innumerabilia nobis suppeditat immensa Dei benignitas. Quin etiam, quas philosophi se-

(a) Jac. 1, 17. — (b) Dom. v post Pascha.

cundas causas appellant, interpretari debemus mirabiliter effectas quasdam et ad usum nostrum accommodatas Dei manus, quibus nobis sua bona distribuit, ac longe lateque diffundit.

*Quid denique quinto.*

XI. Quod autem maxime rem continet in hac petitione, illud est, ut omnes agnoscant et venerentur sanctissimam Jesu Christi sponsam et parentem nostram Ecclesiam, in qua una est fons ille amplissimus atque perpetuus ad eluendas et expiandas omnes peccatorum sordes, unde hauriuntur universa salutis et sanctificationis sacramenta: quibus quasi cœlestibus quibusdam fistulis in nos a Deo ille sanctitatis ros et liquor effunditur: ad quam solam, et ad eos quos suo sinu et gremio complexa est, pertinet divini illius imploratio nominis, (a) quod unum sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Vide Aug. sermon. 181 de Tempore, et Greg. lib. 55 Moral. c. 6.*

*Nota, pastor, et doce.*

Verum parochi maxime hunc locum urgere debent, boni esse filii non solum Patrem Deum orare verbis, sed re etiam et actione conari, ut eluceat in ipso sanctificatio divini nominis.

*Malorum vita huic petitioni quam adversetur.*

XII. Utinam non essent, qui cum oratione hanc Dei nominis sanctificationem assidue postulent, factis, quantum in ipsis est, illud violant atque contaminant, quorum culpa interdum ipsi etiam Deo maledicuntur, in quos dictum est ab Apostolo: (b) Nomen Dei per vos blasphematur inter gentes.

(a) Act. 4, 12. — (b) Rom. 2, 24.

Et apud Ezechielem legimus: (a) Ingressi sunt ad gentes, ad quas introierunt, et polluerunt nomen sanctum meum, cum diceretur de eis: Populus Domini iste est, et de terra ejus egressi sunt.

*Nota.* Qualis enim est vita, et ut sunt eorum mores qui religionem profitentur, sic de religione ipsa deque ejus auctore religionis multitudo imperita judicare solet.

*Ad quæ teneantur christiani hac in parte.*

XIII. Quare qui vivunt ex christiana religione, quam susceperunt, et ad ejus regulam orationem et actiones dirigunt suas, magnam facultatem præbent aliis laudandi nomen cœlestis Parentis, et omni honore et gloria celebrandi. Nobis enim ipse has partes imposuit Dominus, ut illustribus virtutis actionibus excitemus homines ad laudem et prædicationem divini nominis, ad quos loquitur in hanc modum apud Evangelistam: (b) Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est. Et principes Apostolorum: (c) Conversationem vestram inter gentes habentes bonam, ut ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum.

DE SECUNDA PETITIONE.

ADVENIAT REGNUM Tuum.

*Ad regnum Dei nos totum dirigit Evangelium.*

I. Regnum cœleste, quod altera hac petitione postulamus ejusmodi est, ut eo referatur ac terminetur omnis Evangelii prædicatio: nam et inde exorsus est ad penitentiam cohortari S. Joannes Baptista, dum: (d) Penitentiam, inquit,

(a) Ezech. 58, 20. — (b) Matth. 5, 16. — (c) 1 Petr. 2, 12. — (d) Matth. 3, 2.

agite; appropinquavit enim regnum cœlorum. Nec aliunde fecit initium suæ prædicationis (a) Salvator humani generis: et in illo salutari sermone, quo beatitudinis vias discipulis in monte monstravit, tanquam proposito orationis argumento principium duxit a regno cœlorum: nam: (b) Beati, inquit, pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Quin etiam eum retinere cupientibus attulit illam causam necessariæ professionis: (c) Et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum Dei: quia ideo missus sum. Hoc (d) ideo postea regnum prædicare jussit Apostolos: et illi, qui se ire ad sepeliendum patrem suum velle dixerat, respondit: (e) Tu vade, annuntia regnum Dei. Cum vero resurrexisset a mortuis, (f) per illos quadraginta dies, quibus apparuit Apostolis, loquebatur de regno Dei.

*Officium pastoris.*

II. Quare parochi hunc secundæ postulationis locum diligentissime tractabunt, ut fideles auditores, quanta sit in hac petitione vis ac necessitas, intelligant.

*Hæc petitio a cæteris cur distincta.*

III. Primum autem ipsis ad rem scienter subtiliterque explicandam magnam facultatem dabit ea cogitatio, quod etsi hæc petitio conjuncta sit cum reliquis omnibus, eam tamen separatim etiam adhiberi jusserit a cæteris: ut quod petimus, summo studio quæramus: inquit enim: (g) Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

(a) Matth. 4, 17. — (b) Ibid. 4, 5. — (c) Luc. 4, 45. — (d) Matth. 10, 7. — (e) Luc. 9, 60. — (f) Act. 1, 5. — (g) Matth. 6, 33.

*Hæc petitio quæ comprehendat.*

IV. Et quidem tanta vis et copia cœlestium munerum hac postulatione continetur, ut omnia complectatur quæ ad corpoream et spiritualem vitam tuendam sint necessaria.

*Nota.* Quem autem regio nomine dignum dicemus, cui ea curæ non sint quæ regni salutem contineant? quod si sunt homines de regni sui incolumitate solliciti, quanta regem regum omnium cura et providentia tueri credendum est, ad vitam et salutem hominum?

*Omnia necessaria hæc petuntur.*

V. Hac igitur regni Dei petitione comprehensa sunt omnia quibuscumque in hac peregrinatione vel exsilio potius indigemus, quæ concessurum se Deus benigne pollicetur, nam statim illa subjunxit: Et hæc omnia adjicientur vobis.

*Dei benignitas quanta.*

VI. Quibus omnino declaravit se eum esse regem qui generi hominum copiose omnia largeque suppeditat, in cujus infinitæ benignitatis cogitatione inlixus David cecinit: (a) Dominus regit me et nihil mihi deerit.

*Ut in hac petitione exaudiamur, quid opus.*

VII. Verum minime satis est vehementer petere Dei regnum, nisi ad petitionem nostram adhibeamus omnia tanquam instrumenta, quibus illud quæratur et invenitur: nam et quinque fatuæ virgines studiose illæ quidem petierunt ad hunc modum: (b) Domine, Domine, aperi nobis; verumtamen, quod illius postulationis præsidia non habent, excluse sunt, nec injuria; est enim illa

(a) Psalm. 22, 1. — (b) Matth. 25, 11.

Dei ore pronuntiata sententia: (a) Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum.

*Quomodo desiderium regni cœlestis excitabitur.*

VIII. Quamobrem haurient animarum curatores sacerdotes ex uberrimis divinarum Litterarum fontibus quæ fidelibus desiderium studiumque commoveant regni cœlorum: quæ calamitosam status nostri conditionem illis ob oculos ponant: quæ sic eos afficiant, ut respicientes et colligentes se, in memoriam redeant summæ beatitudinis et inexplicabilium honorum, quibus redundat æterna parentis Dei domus.

*Hujus vitæ quot et quantæ miserix.*

IX. Exules enim sumus et plane ejus loci incolæ in quo habitant demones quorum odium in nos nulla ratione mitigari potest; nam sunt infestissimi et implacabiles in genus humanum. Quid domestica intestinaque prælia (b) quæ inter se corpus et anima, caro et spiritus assidue gerunt? quibus perpetuo timendum est ne concidamus: timendum autem, imo vero statim consideremus, nisi propugnaculo divinæ dexteræ defenderemur. Quam vim miseriarum cum sentiret Apher-tolus: (c) Infelix, inquit, ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?

*Unde vis miseriarum hominis facilius intelligetur.*

X. Hæc infelicitas nostri generis, quamquam perse cognoscitur, tamen ex conditione reliquarum naturarum et creaturarum rerum facilius intelligi potest. In illis sive rationis, sive etiam

(a) Matth. 7, 21.— (b) Gal. 5, 17.— (c) Rom. 7, 21.

sensus expertibus raro fieri videmus ut aliqua natura a propriis actionibus, a sensu vel motu insito declinet sic, ut a proposito et constituto fine deflectat. Hoc apparet in bestiis agrestibus, nantibus, volucricibus, ut res declaratione non egeat. Quod si cœlum suspexeris, nonne verissimum id esse intelligis, quod a Davide dictum est? (a) In æternum, Domine, verbum tuum permanet in celo. Nempe illud continentis motu et perpetua conversione fertur, ut ne minimum quidem a præfinita divinitus lege discedat. Si terram et reliquam universitatem consideres, facile videas, aut nulla, aut exigua ex parte deficere.

*Homine nihil inconstantius.*

XI. At miserimum hominum genus sæpissime labitur; raro quæ recte sunt cogitata persequitur: plerumque susceptas bonas actiones abjicit atque contemnit; quæ modo placuerat optima sententia, subito displicet: et, illa rejecta, ad turpia consilia sibi que perniciosa delabitur.

*Miseriarum hominis causæ.*

XII. Quenam igitur est hujus inconstantix miserixque causa? Contemptio plane divini afflatus; claudimus enim aures Dei monitis; oculos tollere nolumus ad ea quæ nobis lumina divinitus præferuntur; nec cœlestem Patrem salutariter præcipientem audimus.

*Munera parochi hac in parte.*

XIII. Quare hic incumbendum erit parochis, ut et miserias oculis subjiciant fidelis populi, et commemorent causas miseriarum et remediorum vim ostendant: quorum omnium illis facultas non deerit, comparata ex viris sanctissimis,

(a) Ps. 118, 89.

Joanne Chrysostomo et Augustino, maxime vero ex iis quæ in Symboli expositione posuimus; nam illis cognitis, qui erit e facinorosorum hominum numero, quin adjumento Dei gratiæ præeuntis, evangelico illo (a) prodigi filii exemplo conetur exurgere et erigere se, atque in cælestis regis patrisque conspectum venire? Vide Chrysost. in Psal. 118, et in c. 4 Isai. et hom. 62, ad populum Antioch. Item et hom. 69, et in sermon. de vanitate et brevitate vitæ. August. lib. 10 Conf. c. 28 et 51, et lib. 2 de Civit. Dei, c. 14, et lib. 22, c. 22.

*Per regnum Dei quid hic intelligatur.*

XIV. His explicatis, quæ sit fidelium fructuosa petitio, aperient quid sit, quod his verbis a Deo postulemus, præsertim cum vocabulum regni Dei multa significet; quorum declaratio et ad reliquam Scripturæ intelligentiam non erit inutilis, et est ad hujus cognitionem loci necessaria.

*Prima.* — Communis igitur quedam regni Dei significatio, quæ frequens est in divinis Litteris, est non solum ejus potestatis, quam habet in omnem hominem, rerumque universitatem; sed etiam providentiæ, quæ cuncta regit et moderatur: (b) In manu enim ejus, inquit Propheta, sunt fines terræ. Quibus finibus intelliguntur etiam quæ occulta sunt et abdita in intimis terræ ac rerum omnium partibus. In hanc sententiam, Mardocheus loquebatur illis verbis: (c) Domine, Domine, rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita; et non est qui possit tuæ resistere voluntati; Dominus omnium es, nec est qui resistat majestati tuæ.

*Secundo.* — Item Dei regno declaratur præcipua

(a) Luc. 15, 11. — (b) Psal. 94, 4. — (c) Esth. 15, 9.

illa ac singularis providentiæ ratio, qua Deus pios et sanctos homines tuetur et curat: de qua propria et eximia quadam Dei cura dictum est illud a Davide: (a) Dominus regit me, et nihil mihi deerit; tum ab Isaia: (b) Dominus rex noster, ipse salvabit nos.

*Regnum Christi non est de hoc mundo.*

XV. In qua Dei regia potestate, etsi præcipua ratione sunt in hac vita ii, quos dicimus, sancti ac pii homines; tamen monuit Pilatum ipse Christus Dominus, (c) regnum suum non esse ex hoc mundo, hoc est, minime ex hoc mundo, qui et conditus est et interiturus, ortum habere; nam eo quem diximus modo, dominantur imperatores, reges, respubiicæ, duces, omnesque ii qui, vel expetiti ac delecti ab hominibus, præsent civitatibus atque provinciis, vel per vim et injuriam dominatum occupaverunt.

*Regnum Christi quid.*

XVI. Christus autem Dominus constitutus est rex a Deo, ut ait Propheta, (d) cujus regnum, ex Apostoli sententia, justitia est; inquit enim: (e) Regnum Dei est justitia, et pax, et gaudium in Spiritu sancto.

*Quomodo Christus regnet in nobis.*

XVII. Regnat autem in nobis Christus Dominus per virtutes intimas, fidem, spem, charitatem: quibus virtutibus regni quodammodo partes efficitur et Deo peculiari quadam ratione subjecti, ad ejus cultum ac venerationem consecramur; ut quemadmodum dixit Apostolus: (f) Vivo ego, jam non ego; vivit vero in me Christus; ita no-

(a) Psal. 22, 1. — (b) Isai. 55, 22. — (c) Joan. 18, 56. — (d) Ps. 2, 6. — (e) Rom. 14, 15. — (f) Gal. 2, 20.

bis dicere liceat : Regno ego, jam non ego ; regnat vero in me Christus.

*Regnum Christi cur justitia.*

XVIII. Id autem regnum justitia dicitur, quia Christi Domini justitia constitutum est. Ac de hoc regno sic loquitur apud sanctum Lucam Dominus : (a) Regnum Dei intra vos est.

*Nota.* Nam etsi Jesus Christus per fidem regnat in omnibus qui gremio ac sinu sanctissimæ matris Ecclesiæ continentur, præcipuo tamen modo regit eos qui præstanti fide, spe et charitate præditi, se tanquam pura quædam et viva membra Deo præbuerunt : et in his Dei gratiæ regnum esse dicitur.

*Tertio regnum Dei et gloria æterna.*

Est vero etiam Dei gloriæ regnum illud de quo Christum Dominum apud sanctum Matthæum loquentem audimus (b) : Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quod idem ab eo regnum, apud sanctum Lucam latro admirabiliter sua scelera recognoscens, expetebat in hunc modum : (c) Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Sanctus etiam Joannes meminit hujus regni : (d) Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. Meminit item Apostolus ad Ephesios : (e) Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod est idolorum servitus) non habet hæreditatem in regno Christi et Dei. Eodem pertinent aliquot similitudines (f) Christi Domini loquentis de regno cælorum.

(a) Luc. 17, 21. — (b) Matth. 23, 34. — (c) Luc. 23, 42. — (d) Joan. 3, 5. — (e) Ephes. 5, 5. — (f) Matth. 13.

*Duplex regnum, gratiæ et gloriæ.*

XIX. Necessè est autem prius ponere regnum gratiæ : neque enim fieri potest ut in ullo regnet Dei gloria, nisi ejusdem gratiæ in illo regnarit.

*Quid sit gratia.*

XX. Est vero gratia, ipsius sententiæ Salvatoris, (a) fons aquæ salientis in vitam æternam.

*Quid sit gloria.*

XXI. Gloriam autem quid esse dicemus, nisi gratiam quamdam perfectam et absolutam?

*Instabilitas in regno gratiæ.*

XXII. Quamdiu enim fragili hoc et mortali corpore vestiti sumus, dum in hac cæca peregrinatione et exilio vagi et imbecilles absumus a Domino, sæpe labimur et cadimus, abjecto regni gratiæ adminiculo, quo nitebamur ; cum autem regni gloriæ, quod perfectum est lux nobis illuxerit, firmi ac stabiles perpetuo consistemus ; omne enim et vitium et incommodum exhaurietur, omnis infirmitas confirmata roborabitur ; ipse denique nostra in anima et in corpore regnabit Deus ; quæ res uberius in Symbolo tractata est, cum de resurrectione carnis ageretur. *Pag. 150 et seq.*

*Quæ hic petantur.*

XXIII. His igitur expositis, quæ communem regni sententiam declarant, quid sibi hæc petitio proprie velit, dicendum est.

*Primo.* — Petimus autem a Deo ut regnum Christi, quod est Ecclesia, propagetur ; ut se ad fidem Christi Domini et ad accipiendam veri Dei cognitionem convertant infideles, et Judæi, et

(a) Joan. 4, 14.



schismatici ac hæretici redeant ad sanitatem, et ad Ecclesiæ Dei communionem a qua desciverunt, revertantur; ut compleatur et ad exitum perducat, quod Isaia ore dixit Dominus : (a) Dilata locum tentorii tui et pelles tabernaculorum tuorum extende, longos fac funiculos tuos et clavos tuos consolida : ad dexteram enim et ad lævam penetrabis, quia dominabitur tui, qui fecit te. Et idem : (b) Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui; læva in circuitu oculos tuos et vide; omnes istis congregati sunt, venerunt tibi; filii tui de longe venient, et filia tuæ de latere surgent.

*Secundo.* — Verum quia sunt in Ecclesia, (c) qui verbis confitentes Deum, factis negantes, deformatam fidem præ se ferant, in quibus propter peccatum dæmon habitat ac dominatur, tanquam in propriis domiciliis; petimus etiam ut ad eos veniat regnum Dei, quo illi, peccatorum discussa caligine et radiis divinæ lucis illustrati, restituantur in filiorum Dei pristinam dignitatem; ut omnibus e suo regno, cœlestis Parens, sublatis hæreticis, atque schismaticis, ejectisque offensivibus, ac scelerum causis, arcam purget Ecclesiæ, quæ, Deo cultum pie sancteque adhidendo, quieti ac tranquilla pace perfruatur.

*Tertio.* — Petimus denique, ut solus in nobis vivat, solus regnet Deus, ne sit posthac mortis locus, sed ut illa absorbeat in victoria Christi Domini nostri, qui, disjecto ac dissipato omnium hostium principatu, potestate et virtute, suo omnia subiciat imperio.

*Officium parochi hac in parte.*

XXIV. Erit autem curæ parochis, ut quod pos-

(a) Isa. 54, 2. — (b) Ibid. 60, 5, 4. — (c) Tit. 1, 16.

tulat hujus ratio petitionis, fidelem populum doceant, quibus cogitationibus et meditationibus instructus, has pie Deo preces facere possit. Ac primum hortabuntur ut vim ac sententiam intueatur illius similitudinis a Salvatore introducte : (a) Simile est regnum cœlorum thesauro abscondito in agro : quem qui invenit homo, abscondit, et præ gaudio illius vadit, et vendit universa quæ habet, et emit agrum illum.

*Regno cœlesti cognito cœtera vilescent.*

XXV. Nam qui noverit Christi Domini divitias, is præ illis omnia contemnet; huic facultates, opes, potentia sordescunt. Nihil enim est, quod illi summo pretio comparari, imo vero, quod in conspectu ejus stare possit. Quare, quibus id nosse contigerit, exclamabunt illi, ut Apostolus : (b) Omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora, ut Christum lucrificam. Hæc est illa insignis (c) Evangelii margarita, in quam qui pecuniam, ex omnium bonorum venditione redactam erogavit, is beatitudine fruatur sempiterna.

*Quam pretiosa divinæ gratiæ margarita.*

XXVI. O nos felices, si tantum luminis nobis præferret Jesus Christus, ut illum videre possemus divinæ gratiæ margaritam, qua ipse regnat in suis ! nam et nostra omnia, et nos ipsos vendidaremus, ut emptam illam teneremus; tum enim denique nobis id non dubitanter dicere liceret : (d) Quis nos separabit a charitate Christi? Præstantem vero regni gloriæ excellentiam, si quæ sit scire volumus, eandem de illa et Prophetæ et Apostoli vocem atque sententiam audiamus : (e) Oculus non vidit, neque auris audivit,

(a) Matth. 13, 44. — (b) Philipp. 3, 8. — (c) Matth. 13, 45. — (d) Rom. 8, 35. — (e) Isa. 64, 4. 1 Cor. 2, 9.

neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum.

*Ut exaudiamur, humiliter petendum.*

XXVII. Proficiet autem ad impetrandum maxime quod petimus, si qui simus, ipsi nobiscum rotemus, id est, Adam progenies, jure a paradiso ejecti, et exules, quorum indignitas ac perversitas summam Dei odium ac sempiternas pœnas postulare.

*Sui abjectionis fructus.*

XXVIII. Quare demisso tum et abjecto animo simus oportet.

*Primus.* — Nostra etiam erit plena christiane humilitatis oratio.

*Secundus.* — Et omnino nobis ipsis diffidentes, illius more publicani confugiemus in Dei misericordiam.

*Tertius.* — Totumque ejus benignitati tribuentes, ipsi gratias agemus immortales, qui nobis suum spiritum sit elargitus, (a) quo freti clamare audeamus: Abba Pater.

*Quartus.* — Suscipiemus etiam illam curam et cogitationem, quid agendum, quid contra vitandum sit, ut ad cœleste regnum pervenire possimus.

*Nota.* Non enim a Deo ad otium et ad inertiam vocati sumus: quin imo, inquit: (b) Regnum cœlorum vim patitur, et violenti rapiunt illud; et: (c) Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

*Collaborandum est cum gratia.*

XXIX. Itaque non est satis petere regnum Dei, nisi suum ipsi etiam studium et operam adhibeant homines; nam adjuutores sint oportet, et admi-

(a) Rom. 8, 15. — (b) Matth. 11, 12. — (c) Id. 19, 17.

nistri Dei gratiæ in eo tenendo cursu, quo pervenitur in cœlum.

*Nota.* Nunquam nos deserit Deus, qui nobiscum se futurum perpetuo pollicitus est: unum ut nobis videndum sit, ne Deum et nos ipsos deseramus.

*Præsidia salutis quot et quanta.*

XXX. Ac Dei quidem sunt in hoc Ecclesiæ regno omnia, quibus et vitam tuetur hominum, et salutem perficit sempiternam, et quæ sub aspectum non cadunt, Angelorum copiæ, et plenissimum virtutis cœlestis visibile hoc munus sacramentorum. In his tantum nobis præsidii est divinitus constitutum, ut non modo ab acerrimorum hostium regno tuti esse, sed ipsum etiam tyrannum ejusque nefarios satellites prosternere et conculcare possimus.

*Quarto in hac petitione quid oratur.*

XXXI. Quare vehementer ad extremum petamus a Dei spiritu, nos ut omnia jubeat e sua voluntate facere: Satanæ ut tollat imperium, nullam ut in nobis summo illo die potestatem habeat: ut vincat et triumphet Christus; ut vigeant ejus leges toto orbe terrarum; ut decreta serventur: nullus ut proditor aut desertor ejus sit; sed tales se præbeant omnes, ut in regis Dei conspectum non dubitantes veniant, et constitutam illis ex omni aeternitate possessionem adeant regni cœlestis, ubi beati cum Christo sempiterno ævo fruuntur.

DE TERTIA PETITIONE.

FIAT VOLUNTAS TUA.

*Quam recte hæc sequatur petitio.*

I. Cum a Christo Domino dictum sit: (a) Non

(a) Matth. 7, 21.

omnis qui dixit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Quicumque in illud cœleste regnum pervenire cupiunt, id a Deo petere debent, ut fiat voluntas ejus. Quamobrem hæc posita petitio est statim post regni cœlestis postulationem.

*Petitionis hujus necessitas ostenditur.*

II. Ut autem intelligant fideles quam necessarium id nobis sit, quod hac prece postulamus, quantumque vim salutarium munerem ex ejus impetratione consequamur; demonstrabunt parrochi quibus miseris et ærumnis oppressum fuerit hominum genus, propter peccatum primi parentis.

*Status naturæ integræ.*

III. Nam a principio Deus proprii boni appetitionem creatis rebus ingeneravit, ut naturali quadam propensione suum quærerent et expeterent finem a quo illæ nunquam, nisi objecto extrinsecus impedimento, declinant. Hæc autem initio fuit in homine expetendi Deum, suæ beatitudinis auctorem parentemque, eo præclarior et præstantior vis, quod is compos esset rationis atque consilii.

*Peccati lapsus quanta causavit mala.*

IV. Sed hunc amorem sibi naturaliter ingenitum, cum reliquæ naturæ rationis expertes conservassent, quæ ut initio procreatæ fuerunt natura bonæ, sic in eo statu et conditione manserunt, hodieque manent, miserum hominum genus cursum non tenuit : non enim solum bona justitiæ originalis amisit, quibus a Deo supra naturæ suæ facultatem auctum ornatumque fuerat; sed etiam insitum in animo præcipuum virtutis studium

obscuravit : (a) Omnes, inquit, declinaverunt, simul inutiles facti sunt; non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.

*Homo quam corruptus.*

V. Nam, sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sub adolescentia sua, ut inde facile intelligi possit neminem per se salutariter sapere, (b) sed omnes ad malum esse propensos, innumerabilesque esse hominum pravas cupiditates, dum proclives sunt et flagranti studio feruntur ad iram, ad odium, ad superbiam, ad ambitionem et ad omne fere malorum genus.

*Maxima hominis corrupti miseria.*

VI. Quibus in malis quanquam assidue versetur, tamen quæ summa est nostri generis miseria, permulta ex illis sunt quæ nobis minime mala videantur; quæ res insignem arguit hominum calamitatem, qui cupiditatibus ac libidinibus obcæcati non videant, quæ salutaria opinantur plerumque esse pestifera, imo vero ad illa perniciosa mala, tanquam ad optabile et expetendum bonum, rapiantur præcipient; ab iis quæ vere bona sunt et honesta, tanquam a contrariis rebus, abhorreant.

*Homo corruptus Deo exosus.*

VII. Hanc opinionem corruptumque judicium detestatur Deus illis verbis : (c) Væ, qui dicitis malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.

*Duæ præclare similitudines.*

VIII. Itaque nostris ut subjiciant oculis nostras miserias, comparant nos divinæ Litteræ iis qui

(a) Ps. 52, 4. — (b) Gen. 8, 21. — (c) Isa. 5, 20.

verum gustandi sensum amiserunt : quare fit, ut a salubri victu alieni sint, appetantque contrarium. Cum ægrotis præterea nos conferunt : ut enim illi, nisi morbum depulerint, sanorum et integrorum hominum officia ac munera obire non possunt, sic nos actiones, quæ Deo gratiæ sint, suscipere sine divinæ gratiæ adjumento nequimus.

*Homo gratiæ destitutus nihil potest ad salutem.*

IX. Quod si quædam sic affecti assequimur, levia illa sunt, et quæ ad consequendam cœlestem beatitudinem parum vel nihil momenti habent. At Deum, ut par est, amare et colere, quod majus quiddam et altius est, quam ut nos humistrati id humanis viribus assequamur, nunquam poterimus, nisi adminiculo divinæ gratiæ sublevemur.

*Egregia similitudo.*

Quamquam aptissima est etiam illa comparatio ad significandam miseram humani generis conditionem, quod simile esse dicimur puerorum, qui suo relicti arbitrio temere moventur ad omnia : pueri, inquam, sumus, et imprudentes, ludicris sermonibus et inanibus actionibus dediti, si a divino præsidio deseramur. Sic enim nos objurgat sapientia : (a) Usquequo, parvuli, diligitis inlantiam, et stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient? Et in hunc modum hortatur Apostolus : (b) Nolite, pueri, effici sensibus.

*Auxilii gratiæ maxima necessitas.*

X. Etsi majori inanitate et errore versamur, quam illa puerilis ætas, cui tantum abest humana

(a) Prov. 1, 22. — (b) 1 Cor. 14, 20.

prudentiâ, ad quam tamen per se tempore potest pervenire; dum ad divinam prudentiam, quæ ad salutem necessaria est, nos, nisi Deo auctore et adjutore, aspirare non possimus. Nisi enim præsto nobis sit Dei auxilium, rejectis iis quæ vere sunt bona, ad interitum ruimus voluntarium.

*Propriæ infirmitatis cognitio quam utilis.*

XI. Ac si quis, discussa divinitus animi caligine, has videat hominum miserias, et, sublato stupore, sentiat legem membrorum, ac sensus cupiditates spiritui repugnantem recognoscat, omnemque despiciat naturæ nostræ propensionem ad malum; quis poterit non ardenti studio opportunum tanto huic malo, quo naturæ vitio preminur, remedium quærere, salutaremque illam regulam expetere ad quam christiani hominis vita dirigenda et conformanda sit?

*Hac petitione remedium petitur universæ infirmitati.*

XII. Hoc igitur illud est quod imploramus, cum ita precamur Deum: Fiat voluntas tua. Cum enim abjecta obedientia et Dei voluntate neglecta, in has miserias inciderimus, unum illud tantorum malorum remedium nobis divinitus propositum est, ut ex Dei voluntate, quam peccando contempnimus, aliquando vivamus, omnesque cogitationes et actiones nostras ea regula metiamur: quod ut assequi possimus, suppliciter illud a Deo petimus: Fiat voluntas tua.

*Etiâ justis hæc petitio necessaria.*

XIII. Id vero illis etiam vehementer petendum est, in quorum animis jam regnat Deus, quique jam sunt radiis divini luminis illustrati, cujus

gratiæ beneficio Dei obtemperant voluntati. Quibus licet ita comparatis, propriæ tamen cupiditates adversantur propter proclivitatem ad malum insitam in hominum sensibus : ut etiamsi tales simus, magnum tamen hoc loco nobis periculum sit a nobis ipsis, (a) ne abstracti et illecti a concupiscentiis quæ militant in membris nostris, iterum de salutis via deflectamus; de quo nos periculo Christus Dominus admonuit illis verbis : (b) Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. *Vide Hieron. lib. 1 adversus Jovin. et August. De Hær. 6.*

*Etiã justificati carnis affectus patiuntur.*

XIV. Non enim est in hominis potestate, ne in ejus quidem qui per Dei gratiam est justificatus, ita domitos habere carnis affectus, ut nunquam illi postea excitentur; quippe, cum eorum qui justificati sunt mentem sanet Dei gratia, non etiam carnem, de qua illud scripsit Apostolus: (c) Scio enim quia non habitat in me, hoc est in carne mea bonum.

*Ex quo Adam peccavit, nemo cupiditates continere potuit.*

XV. Nam ut semel primus homo justitiam originalem, quo tanquam freno quodam cupiditates regebantur, amisit, minime eas postea ratio ita continere potuit in officio, ut ea non appeterent, quæ etiam rationi repugnant. Itaque in ea hominis parte peccatum, id est, peccati fomitem habitare scribit Apostolus, ut intelligamus, eum non ad tempus, quasi hospitem, diversari apud nos; sed, quandiu vivimus, tanquam incolam

(a) Jac. 4, 1. — (b) Matth. 26, 41. — (c) Rom. 7, 18.

nostri corporis in domicilio membrorum hæreæ perpetuo.

*Nota.* Ergo domesticis et intestinis hostibus assidue oppugnati, facile intelligimus confugiendum esse ad Dei auxilium, petendumque ut fiat in nobis voluntas ejus.

*Quæ voluntas Dei hic intelligitur.*

XVI. Jam vero faciendum est ut sciant fideles, quæ sit hujus petitionis vis, quo loco, multis omissis quæ a doctoribus scholasticis de Dei voluntate utiliter et copiose disputantur, voluntatem hic accipi dicimus pro ea, quam signi appellare solent, hoc est, pro eo quod Deus a nobis fieri, aut cavere jusserit, aut monuerit.

*Omnia Dei præcepta hæc voluntas significat.*

XVII. Quare voluntatis nomine hoc loco comprehensa sunt universa quæ nobis ad cœlestem beatitudinem comparandam proponuntur, sive illa ad fidem, sive ad mores pertineant; omnia denique quæcumque nos Christus Dominus per se, vel per Ecclesiam suam facere imperarit, aut prohibuerit, de qua voluntate ita scribit Apostolus: (a) Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.

*Hic petitur.*

XVIII. *Primo.* — Cum igitur illud precamur: Fiat voluntas tua, petimus in primis nobis, ut Pater cœlestis facultatem concedat obtemperandi divinis jussis et inserviendi ei in sanctitate et justitia omnibus diebus nostris.

*Secundo.* — Ut ad nutum et voluntatem ejus omnia faciamus.

(a) Ephes. 5, 17.

*Tertio.* — Ut ea colamus officia, de quibus in sacris Litteris admonemur.

*Quarto.* — Ut ipso duce et auctore reliqua omnia prestemus, quæ eos decent qui (a) non ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt, exemplum Christi Domini seculi, qui (b) factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.

*Quinto.* — Ut parati simus omnia perpeti potius quam vel minimum ab ejus voluntate discedere.

*Quinam hæc petunt ardentius.*

XIX. Nec vero quisquam est qui hujus studio et amore petitionis flagret ardentius, quam is cui concessum sit ut summam eorum dignitatem intueatur, qui Deo obediunt. Idem enim illud verissimi dici intelligit, servire Deo et illi obedire, regnare esse : (c) Quicumque, inquit Dominus, fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, et soror, et mater est : hoc est, cum illo sum omnibus amoris et benevolentiae vinculis conjunctissimus. *Bernard. serm. 3 de S. Andrea.*

*Hæc petitio quam sæpe a sanctis repetita.*

XX. Nemo fere est ex viris sanctis, quin præcipuum hujus petitionis munus a Deo vehementer postularit ac præclara quidem omnes, sed varia persæpe oratione usi sunt, in quibus mirificum et suavissimum Davidem videmus illud varie postulante. Modo enim inquit : (d) Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas. Interdum : Deduc me in semitam mandatorum tuorum. Nonnunquam : Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei

(a) Joan. 1, 13. — (b) Phil. 2, 8. — (c) Matth. 12, 50. — (d) Ps. 118, 3, etc.

omnis injustitia. Huc pertinent illa : Da mihi intellectum, ut discam mandata tua : Judicia tua doce me : da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua. Sæpe aliis verbis eandem tractat versatque sententiam. Qui loci diligenter animadvertendi sunt, et fidelibus explicandi, ut quanta sit in prima hujus petitionis parte vis et copia salutarum rerum omnes intelligant.

*In hac petitione quid detestemur.*

XXI. Secundo loco, cum illud precamur : Fiat voluntas tua, detestamur opera carnis, de quibus scribit Apostolus : (a) Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. Et : (b) Si secundum carnem vixeritis, moriemini ; petimusque ne sinat Deus ea nos perficere, quæ sensus, quæ cupiditas, quæ imbecillitas nostra suaserit, sed ut nostram voluntatem sua voluntate moderetur.

*Hæc petitio non vere fit a voluptuariis.*

XXII. Alieni sunt ab hac voluntate voluptuarii homines, qui in terrenarum rerum cura et cogitatione delixi sunt. Feruntur enim libidine præcipites ad potiendum quod concupierunt, et in illo fructu prææ cupiditatis felicitatem ponunt ; ut beatum etiam esse dicant, qui quodcumque optarit, consequatur.

*Sexto quid hic petimus.* — Nos contra petimus a Deo, ut ait Apostolus, (c) ne carnis curam faciamus in desiderijs ; sed ut fiat voluntas ejus.

*Difficile pura fit hæc petitio.*

XXIII. Et si non facile adducimur ut precemur Deum ut cupiditatibus nostris non satisfaciat, habet enim difficultatem hæc animi inductio, quod

(a) Gal. 5, 19. — (b) Rom. 8, 13. — (c) Rom. 13, 14.

ipsi quodammodo id petentes nos videmur odisse; quod etiam stultitiæ tribuunt ii qui toti hærent in corpore.

*Nota.* Sed nos stultitiæ famam subeamus libenter Christi causa, cujus est illa sententia: (a) Si quis vult post me venire, abneget semetipsum.

*Præstat optare rectum, quam injustum assequi.*

XXIV. Præsertim cum sciamus multo præstare, id optare quod rectum justumque sit, quam illud assequi, quod a ratione, a virtute, a Dei legibus sit alienum; et certe deteriore loco is est, qui cumque ad id pervenit, quod temere ac libidinis impulsu cupiebat, quam qui optime quod optavit, non assequitur.

*Septimo quid hic petimus.* — Quanquam non id modo petimus, ne concedatur nobis a Deo, quod ipsi nostra sponte cupimus, cum studium nostrum depravatum esse constet; sed ne id etiam detur, quod suasore et impulsore dæmone simulato lucis angelo, tanquam bonum interdum postulamus.

*Nota exemplum.* — Rectissimum illud principis Apostolorum studium videbatur, pietatisque plenissimum, cum Dominum a consilio proficiscendi ad mortem avocare conabatur: et tamen eum, qui humanis sensibus, non divina ratione ducebatur, Dominus acriter objurgavit.

*Aliud exemplum.* — Quid amantiùs in Dominum videtur eo postulari potuisse, quod sancti viri Jacobus et Joannes illis irati Samaritanis, qui magistrum hospitio accipere noluerunt, ab eo peterunt ut juberet ignem e cælo descendere, qui duos illos et inhumanos absumeret? At a Christo

(a) Matth. 16, 24. Luc. 9, 25.

Domino reprehensi sunt illis verbis: (a) Nescitis cujus spiritus estis: Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.

*Octavo quid hic petitur.* — Neque vero solum, cum quod cupimus, malum est, aut malis speciem habet, Deum precari debemus, ut fiat voluntas ejus, sed etiam cum revera malum non est, veluti cum voluntas sequitur primam illam naturæ inclinationem: ut appetat ea quæ naturam conservant, et rejiciat quæ ei contraria videantur.

*Exemplum singulare.* — Quocirca cum in eum locum ventum est, ut aliquid petere velimus hujus generis, tum vero dicamus ex animo: Fiat voluntas tua, imitemur illum ipsum, a quo salutem et salutis disciplinam accepimus, qui cum naturaliter insito cruciatuum et acerbissimæ mortis timore commoveretur, tamen in illo horrore summi doloris suam ad Dei Patris retulit voluntatem. (b) Non mea, inquit, voluntas, sed tua fiat.

*Sine gratia peccata vitare nequimus.*

XXV. Sed mirabiliter depravatum est hominum genus, qui cum vim etiam suæ attulerint cupiditati, eamque divinæ voluntati subjecerint, tamen sine Dei auxilio, quo a malo protegimur, et in bonum dirigimur, peccata vitare non possunt.

*Nono.* — Ergo confugiendum est ad hanc precationem et petendum a Deo, ut in nobis ipse instituta perficiat.

*Decimo.* — Ut exsultantes cupiditatis motus comprimat.

*Undecimo.* — Ut appetitus rationi obedientes efficiat.

*Duodecimo.* — Ut nos denique totos ad suam conformet voluntatem.

(a) Luc. 9, 55.— (b) Luc. 22, 42.

*Decimotertio.* — Precamur etiam, ut Dei voluntatis cognitionem totus orbis terrarum accipiat, quo divinum mysterium, abscondium a saeculis, et generationibus, notum ac pervulgatum sit apud omnes.

*Decimoquarto.* — Formam praeterea et praescriptionem hujus obedientiae postulamus, ut videlicet ad eam regulam dirigatur, quam in caelo et servant beati Angeli, et colit reliquus caelestium animarum chorus; ut quemadmodum illi sponte et summa cum voluptate obediunt divino numini, sic nos Dei voluntati, quomodo ipse maxime vult, libentissime pareamus.

*Quomodo Deo serviendum.*

XXVI. Et vero in opera et studio, quod Deo navamus, summum a nobis amorem Deus et eximiam charitatem requirit; ut, etiam si spe caelestium praemiorum totos nos ei dicaverimus, tamen ideo illa speremus, quod, ut in eam spem ingrederemur, placuit divinae majestati. Quare tota nitatur illo in Deum amore nostra spes, qui mercedem amori nostro proposuit aeternam beatitudinem.

*Amor imperfectus.*

XXVII. Sunt enim qui amanter alicui serviant, sed tamen pretii causa, quo amorem referunt.

*Amor perfectus.*

Sunt praeterea qui tantummodo charitate et pietate commoti, in eo, cui dant operam, nihil spectant, nisi illius bonitatem atque virtutem; cujus cognitione et admiratione se beatos arbitrantur, quod ei suum officium praestare possint. Et hanc habet sententiam illa appositio: Sicut in caelo et in terra.

*Modus nostrae obedientiae.*

XXVIII. Maxime enim nobis enitendum est, ut Deo simus obedientes, quemadmodum beatas mentes esse diximus, quarum laudes in illo summae obedientiae munere obeundo, eo psalmo persequitur David: (a) Benedicite Domino, omnes virtutes ejus, ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

*Explicatio sancti Cypriani.*

XXIX. Quod si quis, sanctum Cyprianum se, utus, sic illa interpretatur, ut dicat, in caelo, in bonis et piis, in terra, in malis et impiis: nos vero etiam ejus sententiam comprobamus, ut pro caelo spiritus, pro terra caro intelligatur, ut et omnes, et omnia in omnibus Dei voluntati obediunt.

*In hac petitione est et gratiarum actio.*

XXX. Gratiarum item actionem continet haec petitio. Veneramur enim ejus sanctissimam voluntatem et maximo perfusi gaudio, summis laudibus, et gratulationibus omnia ejus opera celebramus, qui certo scimus eum omnia bene fecisse; cum enim constet esse omnipotentem Deum, necessario sequitur, ut omnia ejus nutu facta esse intelligamus: cum vero etiam ipsum sicuti est, summum bonum esse affirmemus, nihil ex ejus operibus non esse bonum, cum omnibus ipse suam impertiverit bonitatem, confitemur.

*Captivandus intellectus in obsequium Dei.*

XXXI. Quod si in omnibus divinam rationem non assequimur, in omnibus tamen, et ambigui causa neglecta, et rejecta omni haesitatione, illud

(a) Psal. 102, 21.



Apostoli profitemur, (a) investigabiles esse vias ejus.

*Nota.* Sed ob id maxime etiam Dei voluntatem colimus, quod ab eo celesti lumine dignati sumus. (b) Ereptos enim de potestate tenebrarum, transtulit in regnum filii dilectionis suae.

*Cum hæc sit petitio quod meditandum.*

XXXII. Sed ut extremo loco id explicetur, quod ad meditationem pertinet hujus petitionis : redeundum est ad id quod initio attigimus, debere fidelem populum in hujus pronuntiatione petitionis esse demisso et humili animo, reputantem secum eam, quæ in natura est insita cupiditatum vim, divinæ voluntati repugnantem, cogitantem se in eo officio vinci a naturis omnibus, de quibus ita scriptum est : (c) Omnia serviunt tibi; maximeque imbecillum esse qui nullum opus Deo gratum non modo non perficere, sed ne instituere quidem possit, nisi Dei adjumento sublevetur.

*Maxima hominum gloria in quo sita sit.*

XXXIII. Quoniam vero nihil magnificentius est, nihil præstantius, quam, ut diximus, Deo servire, et vitam ex ejus lege ac præceptis agere : quid optabilius esse potest homini christiano, quam ambulare in viis Domini, quam nihil agitare animo, nihil actione suscipere, quod a divina voluntate abhorreat ?

*Deo non se subdentibus omnia male cedunt.*

XXXIV. Ut vero eam exercitationem capiat, et illud institutum teneat diligentius, petat ex divinis Libris exempla eorum, quibus, cum illi consiliorum suorum rationem non retulissent ad Dei voluntatem, omnia male ceciderunt.

(a) Rom. 11, 33. — (b) Col. 1, 13. — (c) Psal. 118, 91.

Moneantur postremo fideles, ut in simplici et absoluta Dei voluntate acquiescant.

*Quomodo homo contentus vivat.*

XXXV. Ferat æquo animo conditionem suam qui sibi in inferiori loco videtur esse quam ejus dignitas postulat.

Ne deserat ordinem suum, (a) sed in ea vocatione maneat qua vocatus est.

Et proprium judicium subiciat Dei voluntati, qui nobis melius consultit quam ipsi optare possumus.

Si angustia rei familiaris, si corporis valetudine, si persecutionibus, si aliis molestiis et angoribus premimur, certo statuendum est nihil horum sine Dei voluntate, quæ summa omnium ratio est, nobis accidere posse, ideoque non debere nos gravius commoveri, sed invicto animo ferre : semper illud in ore habentes : (b) Domini voluntas fiat, et illud beati Job : (c) Sicut Domini placuit, ita factum est : sit nomen Domini benedictum.

#### DE QUARTA PETITIONE.

PANEM NOSTRUM QUOTIDIANUM DA NOBIS HODIE.

*Ratio ordinis septem petitionum.*

I. Quarta petitio, et reliquæ deinceps quibus animæ et corporis subsidia, proprie ac nominatim postulamus, ad superiores petitiones referuntur : habet enim hunc ordinem ac rationem precatio dominica, ut postulationem rerum divinarum consequatur earum petitio, quæ ad corpus et ad hanc vitam tuendam pertinet.

(a) 1 Cor. 7, 20. — (b) Act. 21, 14. — (c) Job. 1, 21.